



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MECHLINIAE** TEMPLUM VULGO NUNCUPATUM «NOTRE-DAME DE HANSWIJK»,
IN ARCHIEPISCOPALI URBE MECHLINIENSI EXTANS,
AD BASILICAE MINORIS DIGNITATEM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Mechliniae, in Belgarum clarissima
urbe, insigne exstat tempulum vulgo nuncupatum «Notre-Dame de Hanswijk», ubi Christifideles impensa colunt pietate
imaginem perantiquam Beatae Mariae Virginis, quam Victorius Augustus Cardinalis Dechamps, Archiepiscopus
Mechliniensis, die XXX mensis Iulii anno MDCCCLXXVI, nomine et auctoritate Pii PP. IX, Nostri Decessoris, sollemni ritu
coronavit, quam et Nos, Apostolicum facientes iter in ista dilectissima Natione, die XVIII mensis Maii anno MCMLXXXV,
venerati sumus. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Godefridus S. R. E. Cardinalis Danneels, Archiepiscopus
metropolita Mechliniensis-Bruxellensis, litteris die XXVIII mensis Novembris superiore anno datis, cleri populi sui
nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, ad ea intenti per quae
ferventius Christifidelium excitentur cultus ac devotio erga praecelsam Dei Genetricem, quam Nosmet ipsi impense a
prima Nostra aetate incepimus colere, istius Pastoris precibus perquam libenter statuimus obsecundare. De sententia
igitur Congregationis pro Cultu Divino, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate, harum Litterarum virtute
perpetuumque in modum templum, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum
omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc insignitis nomine rite competit, is tamen servatis,
quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, servanda sunt. Has
denique Litteras Nostras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae,*
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Augusti, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri
nono. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana
